

SCRIPTA

Numéro Scripta : 224

Auteur(s) : Raoul Foard [particulier]

Bénéficiaire(s) : Chartres, Saint-Père (abbaye)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation :

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Notice rapportant l'acquisition du moulin Crochet, sis à Armentières[-sur-Avre], par les moines de Saint-Père de Chartres faite au chevalier Raoul Foard, contre une somme de trois livres et douze deniers qui servirent au rachat du fils du donateur. Raoul, ayant repris ensuite ce qu'il avait concédé, confirme le don qu'il avait fait.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Guérard Benjamin, *Cartulaire de l'abbaye de Saint-Père de Chartres*, Paris, Crapelet (Collection de documents inédits sur l'histoire de France ; 1ère série. Histoire politique), 1840, 2 vol., t. 2, p. 596.

Texte établi d'après a

Hujus scripti presentia doceatur sequentium noticia, quod Hermentarias fuerit quidam miles, nomine Radulfus, cognomine Foardus, qui dedit sancto Petro et monachis ejus quandam portionem in quodam molendino, juxta Hermentarias posito, quod vulgo vocant Crochetum : scilicet, molendinagium et unum boissellum cum decima. Unde monachi sancti Petri dederunt ei III libras denariorum et XII solidos ; de quibus redemit Galterium filium suum, qui, captus ab hostibus, astrictus in vinculis tenebatur. Dedit quoque monachis, juxta molendinum, quandam terre masuram, et alibi unum agripennum terre. Sed quia miles preminatus lubricis mentis erat, resque familiaris minus sufficiens eum vehementer urgebat, cepit hujus facti penitere et retrahere quod dederat, initaque contentione contra monachos, tandem, justicie vigore superatus, cogitur invitatus iterum concedere quod dederat. Denique, aliquanto tempore evoluto, cecidit in lectum egritudinis, tandemque ad extrema deductus, vocat Baldricum monachum, qui, eum de salute anime sollicitius sollicitans, et de injuriis quas fecerat ut satisfaceret salubriter ammonuit. Que ille gratanter accipiens, de predictis injuriis satisfecit, prefata dona, annuente Gualterio filio suo, firmiter concedendo confirmavit ; uterque, fide interposita, hanc donationem roboravit. Egritudine itaque ejus invalescente, promittens morum viteque conversionem, monachilem habitum petiit et suscepit ; et sic in pace, ut credimus, requievit. Ut autem Gauterius, filius ejus, pro facultate sui posse, servet et defendat predictam sui patris largitionem, dantur ei annuatim, in festo sancti Remigii, denarii ; ita ut, si iste terminus non solutis nummis preterierit, non erit offensa causationis, sed, cum requisierit, ei presentabuntur. De omnibus commissis que in molendino vel in ipsa terra patrabuntur, in curia sancti Petri ante monachos jus justicie diratiocinabitur. Actum est astantibus, etc.